



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, MDCCXVIII

Casus IX. Argumentum. Erecto Beneficio in Ecclesia Cathedrali, & apposito onere Beneficiato celebrandi Missas, & Divina Officia, ac inserviendi, & residendi in Ecclesia, an Beneficium sit ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

to l'anno per la celebrazione di Messe &c. E perche detti Beni stabili l'ho posseduti con qualche scrupolo, lascio al detto Monastero tutte l'altre consistenti in cinque, o sei Luoghi di Monti &c. siccome ogn'altra cosa, che egli terrà nel mio &c. di tutte l'altre robbe, che io lascio à detti PP. prego li medesimi a farmi la Carità di riceversele per Sacrificii destinati alla Cappella dell' Anime del Purgatorio situata nella Chiesa di detto loro Monastero in suffraggio delle dette Anime del Purgatorio, e mia.

Quo casu quæritur: An loca Montium relicta dd. Patribus Theatinis subjaceant oneri Missarum celebrandarum in Cappella Animarum Purgantium eorum Ecclesiæ?

I Respondeo: Negativè, quia dd. loca montium comprehenduntur in prima Institutione omnium stabilium, & introitum annorum, dum ipsa veniunt sub nomine stabilium, & annui redditus Card. de Luca de Regal. disc. 43. num. 12., Rot. decis. 66. num. 10. coram Royas. Unde sicuti Bona stabilia, de quibus fit mentio in prima institutione non habet annexum onus Missarum in Cappella Animarum Purgantium dictæ Ecclesiæ, sed solum habent annexum onus scutorum octo pro tot Missis, ita nec dd. Loca Montium; Solum hujusmodi onus Missarum in dicta Cappella habent aliæ res, quæ relinquuntur dd. Patribus in secunda Institutione ibi -- Di tutte l'altre robbe, che io lascio &c.

Et ita fuit resolutum à Sacra Congregatione in Romana oneris Missarum 20. Februarii 1712., per quam resolutionem fuerunt revocatae resolutiones prius habitæ in eadem causa 24. Maji 1710., & 18. Julii 1711.

ARGUMENTUM.

Erecto Beneficio in Ecclesia Cathedrali, & appposito onere Beneficiati celebrandi Missas, & Divina Officia, ac inserviendi, & residendi in Ecclesia, an Beneficium sit residentiale?

SUMMARIUM.

- I** Residentia est triplex.
2 Promotus ad Canonicatum, aut ad Parochiam tenetur per se ipsum, & non per substitutum inservire; & num. 3.
 Pars II.

4 Beneficium simplex de jure communi residentiam requirit.

5 Beneficium simplex ex generali consuetudine non est residentiale; Sed limita, ut num. 14.

6 Onus celebrationis Missarum injunctum beneficio non reddit illud residentiale.

7 Per se facere quis dicitur, qui per alium facit; Intellige, ut num. 15.

8 Verbum inservire, an inferat per necessè residentiam?

9 Residentia an, & quando differat ab interestia; & quid sit residere, & quid interesse. Vide ibi, & num. 16.

10 Beneficium ex quibus conjecturis, & circumstantiis probetur, quod sit residentiale. Vide ibi, & num. 11. 12. & 13.

CASUS IX.

FUndatum fuit à quodam pio Testatore auctoritate Ordinarii Beneficium A. in quadam Ecclesia Cathedrali cum reservatione juris patronatus favore sui Fratris ejusque descendendum, & cum onere, quod Beneficiatus, sive Capellanus præsentandus, & instituendus sit Sacerdos jam ordinatus, qui singulis diebus, juxta impedimento cessante celebrare teneatur, & debeat Missas, & Divina Officia, ac inservire, & residere in dicta Ecclesia Cathedrali. Quæritur an hujusmodi Beneficium sit formaliter, & cum effectu residentiale?

I Triplex est species residentia; Alia enim est continua, & præcisa sub privatione Tituli, si Beneficiatus continuò non resideat; Alia non continua, sed in certis temporibus; Alia continua, sed tantum causativa, sub sola privatione fructuum, casu quo Beneficiatus negligat residere, juxta Innocen. Joan. Andr. Butr. Imol. in cap. final. de Cleric. non resid. quos sequitur Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 15. num. 20. Rot. decis. 483. num. 1. par. 1. recent. & in Pampilonen. Beneficii de Allo 13. Febr. 1705. S. Ad effectum coram bo. me. R. P. D. Caffarello, & in Augustana Canoniciatus Provincia Moguntina 14. Martii 1710. S. Præmissis coram bon. me. Molines. Hinc Beneficium de quo agitur videtur nulla ex his residentia speciebus qualificatum; Etenim ipsum non est aliqua Dignitas, Personatus, aut Præbenda in Cathedrali, vel Collegiata erecta, quæ est

residentialis saltè causativè; & cui promotus ad illam tenetur per se ipsum, & non per substitutum inservire, juxta Concilium Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 12.* Neque est aliqua Ecclesia Parochialis; quæ est præcisè residentialis, & cui Parochus; nisi sit annexa Dignitati, aut præbendæ; per se ipsum, non autem per Vicarium tenetur deservire, juxta *Text. in cap. Extirpandæ §. Qui verò de Præben. & Dignit. ibi -- Qui verò Parochialem habet Ecclesiam non per Vicarium, sed per ipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit --* sed est purum simplex Beneficium, quòd licèt de jure communi residentialiam requirat juxta *Text. in cap. quia nonnulli de Cleric. non resid.*, ubi statuitur conferri Ecclesiam, aut ministerium Ecclesiasticum illi soli personæ, quæ possit residere in loco, & per se ipsam, & non per substitutum proprium officium adimplere, ibi -- *Cùm igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quaeratur, quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsam valeat exercere -- Gonzal. in cap. relatum de Cleric. non residen. num. 12. Fagnan. in cap. conquerente de Cleric. non resid. num. 2. Navar. cons. 7. de Cleric. non resid. num. 2. Lotter. de re benef. lib. 3. q. 27. num. 8. Garz. de benef. par. 3. cap. 2. num. 1.*

5 tamen ex generali, & communi consuetudine non est residentiale; *Garz. ubi supra num. 3. Fagnan. ubi supra num. 4. de Marin. resol. lib. 1. cap. 107. num. 3. Card. de Luc. de benef. disc. 47. num. 14. Rot. decif. 639. num. 5. coram Seraph. & dec. 825. num. 2. coram Merlin.*

Nec hujusmodi residentialia in hoc Beneficio deduci valet, ex eo quòd Fundator imposuerit onus Beneficiato celebrandi Missas, & Divina Officia; celebratio namque Missarum apta non est concludere hanc residentialiam, ut expressè tenetur *Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 2. alleg. 24. num. 44. Card. de Luc. de benef. disc. 58. num. 2. Rot. in Augustana Canoniceatus Provincia Moguntina 14. Martii 1710. §. Quo verò coram bon. mem. Molines Decano.* Ea ratione, quia cùm idem Fundator non adstrinxerit dictum Beneficiatum ad obeunda præfata munia per se ipsum, ille poterit per alium ea adimplere

7 dum propriè, & verè per se facere quis

dicatur, qui per alium facit juxta regulam *qui per alium de regul. jur. in 6.* Sicuti eadem residentialia argui minimè potest ex quo Fundator voluerit, quòd Beneficiatus inserviat Ecclesiæ; quia cùm verbum *inservire* sit referibile ad servitium celebrationis Missarum, non infert pernecessè residentialiam, maximè si concurreret tenuitas reddituum beneficii, ut optimè animadvertit *Card. de Luc. de benef. d. disc. 58. num. 7. & seqq.*

Neque eandem residentialiam formalem importare videntur alia verba Fundatoris nimirum, quòd Beneficiatus resideat in dicta Ecclesia Cathedrali; Siquidem verbum *Residere* non importat residentialiam formalem, & cum effectu, seu interessentiam, cùm aliud sit residere, & aliud interesse; residere namque est habitare in loco, ubi adest Ecclesia; interesse verò est esse præsentem in Ecclesia, quando Divina celebrantur, & simul exhibere ministerium celebrationi. *Cassador. decif. unic. de Cleric. non resid. num. 5. Piton. discept. Eccles. 1. num. 7. Rub. in annot. ad dec. 576. n. 139. par. 4. tom. 3. rec.*

10 Sed re melius perpensa, & verbis foundationis seriò consideratis contrarium verius de jure existimo. Quamplures namque concurrunt circumstantiæ, & conjecturæ suadentes Beneficium hoc esse residentiale, & quidem residentialia formali, & cum effectu. Prima siquidem est illa, quòd Beneficium sit à Testatore fundatum in Ecclesia Cathedrali; ex quo arguitur illud esse residentiale, & quòd Beneficiatus teneatur inservire per se ipsum, & non per substitutum Ecclesiæ. Ratio est, quia cùm omnia Beneficia, Canoniceatus, & Præbendæ in Cathedralibus sint residentialia, Fundator erigendo Beneficium in Ecclesia Cathedrali præsumitur voluisse illud esse uniforme aliis Beneficiis ejusdem Cathedralis, juxta *Fagnan. in cap. ut Abbates num. 105. vers. fin autem, Card. de Luc. de Benef. disc. 58. num. 3. & seqq. Rot. in Monasterien. Canoniceatus 6. Decembris 1706. §. Quibus coram R.P.D. Lancetta.*

11 Secunda circumstantia est, quia idem Testator disposuit, quòd Beneficiatus debeat celebrare Divina Officia, celebrare autem Divina Officia in Ecclesia Cathedrali, idem est ac inservire choro; ac proinde

inde voluit Beneficium esse residentiale, dum quando Beneficiatus, aut Cappellanus habet annexum servitium chori in Cathedrali, vel Collegiata, tunc Beneficium, sive Cappellania dicitur residentialis; ut resolutum fuisse à Sac. Congregatione Concilii in *Ferrarien. 4. Decembris 1627. testatur Barbof. ad Concil. sess. 7. de reform. cap. 4. num. 10. ibi-- Cappellanus in Ecclesia Cathedrali tenetur ad residentiam, stante fundatione suæ Cappellæ cum onere quarundam Missarum, & inserviendi in choro.*

- 12 Tertia circumstantia est, quia voluit, quòd Beneficiatus inseruiat Ecclesiæ; hæc namque circumstantia requirens servitium Ecclesiæ Cathedralis, reddit Beneficium residentiale, ut docent *Fagnan. in cap. ut Abbates num. 89. 91. & seqq. Rot. decis. 399. num. 2. & 5. coram Merlin., & resolutum fuisse ab eadem Sac. Congregatione Concilii in Viterbien. 11. Januarii 1620. affirmat idem met Barbof. in Summ. Apostolic. decis. in verb. Cappellanus n. 13. ibi -- Cappellanus per se ipsum tenetur inseruire Divinis, postea institutione Cappellæ infra scripti tenoris-- Qui quidem Cappellanus teneatur, & obligatus sit qualibet hebdomada dicere in ipsa Ecclesia pro remissione peccatorum Testatoris duas Missas, & inseruire Ecclesiæ in Divinis.*
- 13 Quarta denique circumstantia est, quòd ipse Testator ultra prædicta demandavit etiam, quòd Beneficiatus resideat in dicta Ecclesia Cathedrali. Fundatores autem secundum vulgarem modum loquendi nomine residentie intelligunt residentiam personalem, seu quòd Beneficiatus per se ipsum, & non per substitutum celebret Divina Officia; ut testantur *Navar. conf. 7. de Cleric. non resid. num. 1. Fagnan. in cap. conquerente de Cleric. non resid. num. 21. & in cap. Ut Abbates de atat., & qualitat. num. 101.*
- 14 His positis respondendo ad ea, quæ in contrarium objiciebantur, non obstat, quòd ex generali consuetudine Beneficia simplicia residentiam non requirant, quia non procedit nisi aliud sit inductum jure speciali, seu nisi voluntas Fundatoris, aliter expressè, vel tacitè disponat. *Fagnan. in cap. Conquerente de Cleric. non resid. num. 4. Card. de Luc. de Benef. disc. 58. num. 2.*

Contrariæ vero animadversiones evadere nequaquam valent præfatas circumstantias suadentes residentialitatem personalem Beneficii; Quoniam, quòd Fundator in actu, quo injunxit Beneficiato onus celebrationis Divinorum Officiorum, & servitii Ecclesiæ, cum non adstrinxerit ad illud obeundum per se ipsum; non proinde sequitur, quòd idem Beneficiatus possit dictum onus adimplere per alium, 15 juxta Regulam: *Qui per alium &c.* etenim Regula hæc in casu præsentis, ubi requisitum fuit servitium personale actu, & electa fuit industria Personæ, limitatur, & non habet locum, ut optimè considerat *Gonzal. in cap. Relatum de Cleric. non resid. num. 14.*

- 16 Quod autem aliud sit residere, & aliud interesse, adeòque ex quo Fundator voluerit Beneficiatum residere in Ecclesia Cathedrali, inferri non possit, quòd voluerit etiam ei interesse absolutè, & absque ulla distinctione non subsistit; Distinguendum est igitur inter verbum *Residere* simpliciter prolatum, & verbum *Residere* prolatum cum addito, nimirum *in Ecclesia*. Ac insuper distinguendum est, inter Verbum *Residere in Ecclesia* secundum se sumptum; & Verbum *Residere in Ecclesia* unitum cum altero Verbo, & *Divina Officia celebrare*; Licet aliud sit *Residere* simpliciter sumptum, & aliud *interesse*, ex auctoritatibus superius in contrarium relatis §. *Neque*; ac etiam licet aliud sit *Residere in Ecclesia*, & aliud *interesse*; cum dari possit casus, quòd quis resideat in Ecclesia, & tamen quòd non intersit Divinis Officiis, ut esset e. g. Si quis permaneret in Ecclesia confabulando cum Amicis; aut audiendo Confessiones; docendo Doctrinam Christianam, aut celebrando Missam privatam tempore Divinorum, juxta *Joan. Andr. in cap. Ad liberandam de Judæis. num. 2. Ventrig. in prax. annot. 19. §. 1. num. 8. Piton. discept. Eccles. 1. num. 26.* Tamen *Residere in Ecclesia* unitum cum altero Verbo; *Et Divina Officia celebrare*; prout est casus noster, ubi Fundator jussit Beneficiatum non solum residere in Ecclesia Cathedrali, sed etiam ibidem Divina Officia celebrare; idem est ac *interesse Divinis Officiis*; & talis residentia non differt ab interessentia, sed intelligitur cum effectu, videlicet quòd

quòd Beneficiatus per se obeat Divina Officia juxta Doctrinam *Hosien. in cap. Ad Liberandam de Judæis sub. num. 1. Ego etiam, quem sequuntur ibidem Anan. num. 13. Felin. num. 6. Fagnan. in cap. conquirente de Cleric. non resid. num. 14. Antonell. de loco legal. cap. 13. q. 5. num. 37.*

Et ita me studente apud R. P. D. meum Petra in similibus terminis resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Bononiens. celebrationis Missarum 1. Junii 1709. in responsione ad Primum.*

ARGUMENTUM.

An Beneficium, cujus oneribus satisfieri non potest per alium, nisi in casu infirmitatis, & quod conferri potest Clerico, sit residentiale?

SUMMARIUM.

- 1 Beneficium, cujus oneribus satisfieri non potest per alium, nisi in casu infirmitatis est residentiale.
- 2 Exceptio celebrandi per alium in casu necessitatis firmat regulam in contrarium, ut nempe secluso casu necessitatis, Fundator voluerit celebrationem Missarum per se ipsum.
- 3 Cappellania de jure communi residentiam requirunt.
- 4 Beneficium est residentiale, si Beneficiatus in casu absentia teneatur reportare licentiam à Superiore, & si redditus Beneficii sint valde pingues n. 5.

CASUS X.

PEnè neglectum remanserat Beneficium sub invocatione S. Leonardi in loco Puechach, adeout nulla ejusdem foundationis custodiretur memoria, nullumque onerum, ac proventuum documentum superesset, propterea jam de anno 1653. Archiepiscopus Salisburgensis pro sui munere idem Beneficium restauravit, ac iterum erexit, sibi, ejusque Successoribus, reservato jure presentandi Clericum sæcularem pro tempore, qui adstrictus foret ter Missæ Sacrificium celebrare in qualibet hebdomada, & festivis diebus, ac insuper quolibet Sabbato in arce Clingenfi: Adeout Beneficiatus (quemadmodum

legitur in fundatione) si impostero ob indispositionem corporis, aut aliis de causis præactas Missas ipsemet celebrare non posset, is tamen eandem sine defectu ex proprio suo marupio per alios supplere, & legi faciat. Pro dote verò hujusce Beneficii præter domum Beneficialem, & hortulum, jam dictus Archiepiscopus assignavit annuam summam florenorum supra 300. ex Ecclesia Sancti Leonardi redditus, qui pia fidelium liberalitate sensim adaucti fuere. Profectò septemdecim ab hinc annis Beneficium hujusmodi obtinuit Bernardinus Pancherius, qui satis ejusdem oneribus perfungi pro certo habet per alium substitutum, sibi persuadens, quod nullo residentia onere sit gravatus. Hinc Promotor Fiscalis Curia Archiepiscopalis Salisburgensis recursum habuit ad Sacram Congregationem Concilii, quatenus ipsa decernere dignaretur, jam dictum Beneficium personalis residentia onere esse affectum, tum quia ex lege foundationis domus Beneficialis assignatur, tum ex eo, quod in casu dumtaxat infirmitatis per alium supplere indulgeatur, ac tandem perspecta opimi ejusdem Beneficii dote, & quidem idem Promotor subtexit hujusmodi onus satis compertum jamdudum fuisse prælibato Pancherio, qui in actu collationis præ cæteris hanc declarationem emisit -- Bernardinus Pancherius comparet, & ad factam eidem propositionem se judicialiter declaravit, primo apud collatum sibi Beneficium S. Leonardi in Puechach personaliter residere, & eidem annexas functiones ipsemet peragere, secundo absque habita Superiorum licentia ab eodem nequaquam abesse, neque se absentare -- Reportata itaque Consistorii Archiepiscopasli informatione, ac in dicto competenti termino ipsi Pancherio, ut judicio Sacra Congregationis sisteret, sub die 11. Junii 1713., relatæ fuerunt preces per Summarium, exindeque in ejusdem contumacia rescriptum prodiit -- Beneficium esse residentiale, & Ordinarius procedat ser. ser. contra Beneficiatum -- Hinc sanè excitatus sæpè dictus Bernardinus Pancherius enixè contendebat, quod nullo residendi onere prægravari possit, inspecto tenore erectionis Beneficii, ex qua Clericum institui posse elicitur, cæteroquin verò subdit